



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, 1680**

29. An Inquisitores in causa hæresis ex leui suspicione possint formare inquisitionem, non præcedente diffamatione? Ex part. 4. tract. 8. res. 4.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)



## Et Potestate Inquisitorum. Ref. XXVII. &c. 427.

2. At ego puto, dictum reum non esse hæreticum, sed præsumi, & ideo Villalobos in *summa*, tom. 1. tr. 1. diff. 10. num. 6. sic ait. [ La duda es del quenienga una proposicion Theologica que se infiera d'una premiffa de fe y otra evidente con lumbré natural, la qual non es inmediatamente de fe como es esta. Christus est risibilis, que se infiere destas dos premiffas. Omnis homo est risibilis. Christus est homo que la una es principio natural y la otra de fe, al qual respondo con el P. Corduba que en el fuero exterior se presumiera por herege porque no se presume que ha de errar en el principio natural. ] Ita Villalobos, & ante illum Aragon. in 2. 2. *quest.* 11. art. 2. Suarez de *fide disp.* 19. *sect. ult.* num. 3. & *seq.* cum Sanchez in *summa* tom. 1. lib. 2. cap. 7. num. 33. qui cap. 8. num. 12. rectè docet quodd si talis reus in illa negatione peristerit tanquam hæreticus negans principium revelatum, crit ab Inquisitoribus puniendus.

### RESOL. XXVII.

An Inquisitores debeant verba dubia interpretari in sensu Catholico?

Et an hoc non solum procedat in dubio rei, sed etiam in dubio testium? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 83.

§. 1. **R**espondeo affirmativè, nisi contrarium confiteatur reus, & ideo ejus intentio & consensus circa hoc diligenter ab Inquisitoribus perquirendus est, & ita docet Albertin. de *agnoscend.* *quest.* 34. num. 48. & *sequent.* Decianus in *tract.* *crimin.* lib. 5. cap. 37. num. 6. & 47. Io. Rojas de *hæret.* part. 1. n. 200. & part. 2. num. 164. & *seq.* Menochius lib. 2. *conf.* 82. num. 10. Riminaldus lib. 4. *conf.* 686. num. 6. Pegna in *direct.* part. 3. *comment.* 1. 11. qui docet hoc etiam procedere in dubia testium depositione.

2. Ex his Rojas ubi *supra* part. 1. num. 366. asserit quodd si quis dixerit, Deus non fecit mala, intelligendus est de malo culpæ, quæ est propositio Catholica, & non de malo pœnæ, quæ est propositio hæretica. Item num. 376. non damnavit quemdam de hæresi esse suspectum, qui volens Sacram Missam in quadam Ecclesia audire, cum ad eam accessisset, & Missam non invenisset, quia seorsus accessit, dixit hæc verba, Sola fides sufficit, quia non censetur dixisse solam fidem sine operibus sufficere, quodd esset hæreticum.

3. Verum licet hæc omnia sint vera, non tamen procedunt quando contra reum, qui dixit aliqua verba dubia & ambigua, militaret aliqua sinistra suspicio & præsumptio, præsertim ratione qualitatæ personæ, ut, v. g. si esset de genere Iudæorum, Maurorum, vel ex aliqua provincia infestâ. Ita Rojas *loc. cit.* num. 205. qui etiam num. 375. adnotat supradicta procedere quoad plenam probationem delicti; secus autem quoad præsumptionem ut torqueatur, præsertim si est persona suspecta, nam in dubio præsumendum est pro hæresi, atque si nimis urgent indicia, talis reus torquendus erit, cum de ejus animæ salute agatur, ut in tortura confiteatur & reconcilietur. Ita Rojas, quod est valde notandum. Verum circa præsentem questionem in casu contingenti legatur omnino Navar. lib. 5. *conf.* 6. num. 6. & *seq.* de *hæret.* & Simanca in *Cathol. instit.* tit. 5. 4. n. 21. & 22.

### RESOL. XXVIII.

An Inquisitores possint cognoscere non solum de causa hæresis, sed etiam de omnibus connexis, & incidentibus?

Et quid de emergentibus, & dependentibus, quæ immediate hæresim non tangerent? Ex part. 4. tract. 8. Ref. 70.

§. 1. **R**espondeo affirmativè, per ea quæ adducit Aretinus *conf.* 83. quem sequitur Decian. in *tract.* *crimin.* lib. 5. cap. 22. num. 12. hanc etiam sententiam docet Eymericus in *direct.* *Inquis.* part. 3. & ibi Pegna *comment.* 10. ubi tradit quæ in hac materia sine emergentia, dependentia & connexa, & ratio hujus sententiæ desumitur ex l. nulli, C. de *judiciis*. Nam ubi conceditur causa principalis, conceduntur consequenter connexa emergentia & incidentia ex illa. Vide Menochium de *arbitrar.* lib. 1. *quest.* 45. n. 9. & alios penes ipsum.

2. Advertit tamen Decianus ubi *supra* lib. 5. cap. 23. num. 11. quodd cum Inquisitores habeant limitatam jurisdictionem, non possunt cognoscere de emergentibus, & dependentibus, quæ immediate hæresim non tangerent. Ita ille, qui citat Decium *conf.* 167. n. 56. & 15.

### RESOL. XXIX

An Inquisitores in causa hæresis ex levi suspitione possint formare Inquisitionem, non præcedente diffamatione? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 4.

§. 1. **A**ffirmativè respondeo quoad Inquisitionem Sup. hoc sup. Generalem ex cap. *acensatus*, de *hæret.* in 6. in tr. 9. Ref. non autem ex c. *excommunicavimus*, §. *adjuvamus*, de *hæret.* 32. §. Sed ut bene advertit Angelus *tract.* de *malefic.* in *ver.* hæc est, num. 51. contra Farinacium *quest.* 9. num. 14. Vide Rolandum à Valle *conf.* 8. num. 6. lib. 1. Simancam in *Cathol. instit.* tit. 44. num. 9. Arelatanum de *hæret.* notab. 26. & alios communiter.

2. Verum Iulius Clarus lib. 5. §. *finalis*, *quest.* 6. num. 7. licet teneat quodd in crimine hæresis potest procedi absque eo quodd præcedat diffamatio, ut dictum est, putat tamen quodd ultra ipsam suspensionem adhuc requiratur querela, vel denunciatio, prout in aliis criminibus aliàs darentur nimis latæ habere Inquisitoribus. Ita ille.

3. Sed adversus hanc sententiam, & meritò, insurgit Sigismundus Scaccia de *judiciis*, lib. 1. cap. 59. num. 11. nam si esset vera, sequeretur, quodd si quis committeret aliquod factum hæreticale, utpote quia combureret crucem, vel aliam imaginem alicujus Sancti, vel quid simile faceret, ob quam redderetur suspectus, & Inquisitor inquirendo generaliter eum inveniret sine denunciationse, & sine accusatione, non posset contra eum procedere, quodd dicere est valde absurdum: ergo, &c. Nec obstat quodd Inquisitoribus concedantur latæ habere, quia non eliguntur nisi viri graves.

4. Notandum est tamen, his non obstantibus, quodd licet in crimine hæresis possit procedi contra aliquem ex levi suspitione, non solum per viam accusationis, seu denunciationsis, sed etiam per viam Inquisitionis, non præcedente clamore & infamia, ut in aliis delictis, at tamen levis suspicio in tali casu dicitur per comparisonem ad vehementem, sed in se notabilis esse debet iudicis arbitrio, ut habetur in *gloss.* 1. cap. *excommunicamus* 1. §. *qui autem de hæret.* juxta quod explicandi sunt Doctores afferentes in casu hæresis procedi posse contra quoscunque ex levi suspitione, ut Scaccia ubi *supra* Arelatanus de *hæret.* notab. 27. Rojas de *hæret.* part. 2. num. 20. & 180. cum aliis. Et hæc omnia notat & advertit optimè Freitas in *addit. ad tract.* de *Confess.* *solic.* *quest.* 5. num. 37. Si autem scire

N n 4 vis,



vis, qui dicantur leviter, vel vehementer de hæresi suspecti, vide Albertin. de agnoscent. quæst. 34. à n. 4. Simancam in carbol. instit. tit. 30. à num. 24. & alios. Sed de hac questione iterum infra redibit sermo.

## RESOL. XXX.

An suspicio levis de hæresi sufficiat, ut Inquisitores possint specialiter contra aliquem inquirere, & interrogare?

Et docetur ob levem suspensionem non esse aliquem denunciandum, sed ob vehementem.

Et an ut abjuratio, & condemnatio leviter suspectis inferatur, debeat necessario delictum, seu iudicium esse plene probatum?

Et quinam vero dicantur suspecti leviter, vehementer, vel violenter de hæresi? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 39.

Sup. hoc in §. 1. Prima opinio negat, & ita docet Simanca in Ref. præteriti, & in alio §. 1. not. 1. P. carbol. instit. tit. 30. num. 28. Vnde Homobonus de Bonis intr. de cas. reserv. part. 2. cas. 1. fol. mibi 229. docet ob levem suspensionem non esse aliquem denunciandum, sed ob vehementem. Et hanc sententiam tenet etiam Lazarius de blasphem. quæst. 12. num. 32. Genues. in praxi Archiep. cap. 18. num. 10. Alphonsus de Castro lib. 2. de hæresi. punit. cap. 25. Iul. Clarus in præf. crim. §. fin. quæst. 6. num. 6. & à fortiori Greg. de Valentia tom. 2. disp. 6. quæst. 13. punct. 4. §. 1. vers. Sed ut hac inquisito, ubi loquens in sortilegio, seu maleficio, constituit conclusionem quoad hoc ut quis possit interrogari de se ipso, necesse est ut sit suspectus, vel propter publicam infamiam, vel propter gravia indicia. Vide etiam Lessium lib. 2. de iust. c. 29. dub. 3. n. 15.

2. Secunda opinio affirmat, & ita docet Sigismundus Scaccia de iudiciis lib. 1. cap. 59. à num. 12. Decianus in tract. crim. lib. 5. cap. 20. num. 21. & cap. 35. n. 20. Mascardus de probat. vol. 2. concl. 861. num. 3. Rolandus à Valle lib. 3. consil. 8. num. 6. Parisius lib. 4. consil. 2. num. 100. & Ioan. Rojas de hæresi. part. 2. num. 20. ubi sic asserit. Certum est & indubitatum, Inquisitores posse contra aliquem in crimine hæresis ex levi & modica suspensione procedere, ut suspectus interrogetur quid sentiat de fide. Ita ille.

3. Tertia opinio distinguit, vel suspicio hæresis levis oritur ex opinione DD. vel ex lege, seu consuetudine. Si primum, vera est prima opinio, si secundum, secunda; & ideo retinentes libros prohibitos, illosque legentes, & Sacramenta sine potestate ministrantes, binas nuptias contrahentes, sollicitantes in confessione, in excommunicatione per annum exsordescentes sunt ab Inquisitoribus interrogandi & examinandi, quia hæc suspicio oritur ex delicto, cui à jure & consuetudine talis suspicio annexa est: secus autem, ut dictum est, si suspicio oritur ex aliis delictis quibus solum in opinione DD. positum estingere suspensionem, & hanc sententiam tenet novissimè Ferdinandus de Castro in oper. mor. tract. 4. disputat. 7. punct. 1. num. 7. qui citat Suarez de fide disp. 24. sect. 2. num. 4.

4. Quid ego sentiam dicam breviter. Omnes supradictæ opiniones sunt probabiles, mihi verò secunda magis placet, cum hac tamen limitatione, ut procedat in homine vili, improbo, abjecto: secus autem in viro honesto, & nobili, & Religioso, & ita mecum tenet Pegna in direct. Inquisit. par. 2. commen. 12. ver. Caterum, & comment. 80. vers. atque ita crederem, cum Io. Rojas ubi supra, de hæresi. part. 2. num. 21. & aliis, & de hac questione supra etiam aliquid dictum est.

5. Notandum est hic obiter quod ut abjuratio &

condemnatio leviter suspectis inferatur, debet necesse fieri delictum, seu iudicium esse plene probatum, quod est valde notandum à DD. Inquisitoribus, aliter non esset vera suspicio, nec digna poena, quæ ultra abjuracionem de levi solet esse, vel exilium, vel ad triremes condemnatio, vel alia poena pecuniaria, penalis qualitatibus personarum & delictorum. Ita Calt. Pal. ubi supra, n. 8. & 9. cui ego addo Menochium lib. 1. conf. 81. num. 155. & Arelatanum de hæresi. notab. 37.

6. Quinam vero dicantur suspecti leviter, vehementer, vel violenter de hæresi, explicant DD. citati, quibus adde Antonium Sanctatellum tr. de hæresi. de iudiciis. cap. 41. dub. 3. num. 5. Lessium Zecchium in summa. m. 1. tit. de fide. cap. 11. num. 5. Genuesem in praxi Archiep. cap. 18. n. 11. & Aloysium Riccium in praxi romana. resol. 423. per totam, & de levi, vehementi, & violenta suspensione hæresis, vide Farinacium de hæresi. q. 187. à n. 23. usque ad n. 53.

## RESOL. XXXI.

An Inquisitores in causis Fidei possint procedere simpliciter, & de plano sine scriptis, & figura iudicii? Et an in crimine hæresis tollantur solemnitates juris Gentium, vel Divini? &c. Ex p. 4. tr. 8. Ref. 48.

§. 1. Affirmativè respondeo ex cap. statuta, de hæresi. in 6. sic docet Sigismundus Scaccia de iudiciis, lib. 1. cap. 52. num. 2. Simanca in carbol. instit. tit. 44. num. 30. Eymeticus in direct. Inquisit. part. 3. quæst. 54. & ibi Pegna comm. 103. Zanchinus de hæresi. cap. 9. num. 1. Carterius de hæresi. num. 93. & 103. & 108. Paramus de orig. Inquisit. lib. 3. q. 9. n. 45. & alij; quidquid in contrarium asserat Decianus in tract. crim. lib. 5. cap. 34. num. 9. ubi tenet hoc privilegium Inquisitorum intelligendum esse quoad levia, non autem in peccatis capitalibus. Sed hæc opinio expressè est contra textum, unde prorsus est refellenda.

2. Notandum est tamen, clausulam prædictam, simpliciter & de plano, &c. in crimine hæresis non tollere solemnitates juris Gentium, vel Divini, nec per illam sublatam esse necessaria ac substantialia causa, illa scilicet, sine quibus nec iustè & rectè, nec commodè negotium tractari potest; & ideo in causis hæreticis requiritur etiam legitimatio personarum, alias processus redderetur nullus. Ita DD. citati. Sed de hac clausula, simpliciter, & de plano, &c. Vide Augustin. Barbosam tract. de clausulis, claus. 176. secundum Logdunensem impressionem, Martam de clausul. part. 1. claus. 180. num. 5. in ultima impressione, & alios penes ipsos.

## RESOL. XXXII.

An Inquisitores in aliquo casu non incurant in excommunicationem latam in Clem. I. §. Verum, de hæreticis, si non procedant contra hæreticos? Et an quando Inquisitores incidunt in supra dictam excommunicationem, non possint absolvi, excepto à Romano Pontifice, præterquam in articulo mortis? Ex p. 4. tract. 8. Ref. 37.

§. 1. Respondeo affirmativè, & ideo si Inquisitores omiserint procedere contra hæreticum, non odij, rancoris, vel lucri causa, sed propter timorem, vel propter evitanda scandala, non incurant in poenam prædictam excommunicationis, & ita docet Glossa in Clem. 1. ver. obtemperata, de hæreticis, & ibi Anacet Glossa in Clem. 1. ver. obtemperata, de hæreticis, & ibi Anacet Glossa in §. sanè, num. 11. Imola num. 17. Bonifacius de

Supr. in Ref. quæ hic est antecedens, & si placet,